Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 105
Quelle:
Copyright:

Cod. Rhediger.	Cod. Caes. vetust.	Codex Caes. recent.
diu minnont dib die iunkfrouuon. daz sint die sela die der geuuiget sint in dero toife unte geuuatet mit veste innocentiae &c.	*nont dib die iunkfrouwin. daz sint die sela. die der geiunget sint in demo toufe. unde gewatet mit ueste innocentię* &c.	*nun non dib* — hic librarius incurius aliquot verba transiliit — *die sela. die der geiunget sint in dero toufe. unte geuuatet mit ueste innocentiae* &c.

Ex his adlatis liquidum fit, exiguum esse discrimen, quod inter hos Codices versatur. Finit Noster: *unte laz daz vuerdan in montibus aromatum scilicet an dinen heiligon. quorum Conuersatio in coelis est. alse an den hohon bergon. unte die den odorem et famam Virtutum de se spargunt. alse die tuiren stankvurze.* Ita et *Schilteri* impressa exceptis vocibus *hohen* et *tiuren*, quae tamen typi σφαλματα esse possunt. De altero vetustiori Exemplari jam prius actum est.

XLVI. VI. C. 19.

445 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 70. f. quorum primum et sexag. septimum manu paullo recentiore adjecta sunt, per duas columnas probe exaratus, rubricisque distinctus est *Pars Sacrorum Bibliorum* ab *Ezechiele* Propheta pertingens usque ad haec *Aggaei* C. I. v. 6. verba: *bibistis et non estis inebriati. Ezechielem* praecedit *Hieronymi Praefatio*, sine titulo, charactere rubronigro quadro incipiens: *Hiezechiel Propheta cum Joachim rege iudę captiuus ductus est* &c. In fine occurrit lectio singularis, cujus non meminit *Vallarsius*, meminere vero *Johannes de Janua* in *Catholico*, et *Ducangii* Editores *Mauriani* hunc ipsum *Hieronymi* locum citantes; legitur autem non ut in editis: φαγολοιδοροι *hoc est manducantes sannas*, sed, *manducantes senecias*, cujus vocis significatum, ut *Catholici* nugas omittam, *Mauriani* cum vetere gallico *San*, *foenum* conciliari putant, in nostro vero Codice theotiscum illi glossema *trestir* impositum est, quod jam *Notkero* cognitum et fortassis a calcando *treten* derivatum folliculos granorum expressos vel excoctos, vulgo *Träber*, denotat. Phrasin prisco illi aevo sat usitatam fuisse, argumento esse possit illud *Benzonis* episcopi Albens. in *Henrico Imp.* III. apud *Ludewigium* T. IX. *Reliquiar. Mss.* p. 288. *Qui putat me loqui facetias, manducet Senecias.* Sed mihi tota illa τȣ φαγολοιδοροι interpretatio non ipsius *Hieronymi*, sed Commentatoris cujusdam esse videtur. Porro *Ezechiel* ipse nullum titulum praefert, et *columna* 3. interrumpitur per duo *Augustini* loca de *Libb.* XV. et XVI. *de Civit. Dei* sumta, quae verisimiliter jam in hoc folio extabant, antequam